



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

II. Vtrùm ante professionem tertius probationis annus fieri debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

CAPUT II.

Quaratione ab scholasticis Societatis tertius probationis annus ante professionem exigatur.

I.
Ratio dubi-
tandi.

Ratio dubitandi esse potest, quoniam, qui semel sufficienter probatus est, & approbatus, non debet iterum in examen vocari: capit. lueri, de off. legati: sed scholares Societatis iam per biennium integrum fuerunt probati, & tandem approbati: ergo non debent iterum cogi ad integrum probationis annum transigendum. Quod si dicas respectu altioris gradus, posse novam exigere probationem; contra hoc est, quia etiam hoc dato videtur sufficiens probatio, quae fit per discursum plurium annorum, viuendo in Societate post vota scholarum emissa: finis enim probationis solum est, ut & religiosus sufficienter cognoscatur ad religionem, & ipsam experietur, in tot autem annorum discursu, cum tanta vitae familiaritate & communitate, satis profecto potest talis persona cognosci ad religionem, tam in moribus, quam in omnibus natura dotibus, aut defectibus: & ipse similiter poterit sufficienter experiri religionem, ergo cessat adaequata causa probationis: ergo non est imponendum tantum onus, sine causa. Eo vel maxime, quod ex parte religiosi, non habet locum talis probatio, iam enim se priuauit libertate relinquendi hanc religionem, & ad ingressum eius per professionem, si praecipitur, se obligauit, & ideo quantumcunque asperitatem, vel rigorem postea experietur, non potest voluntate sua retrocedere, qui solet esse proprius finis probationis ex parte religiosi: ergo religiosus scholaris Societatis, iam est incapax probationis ex parte sua: ergo nec religio probare illum debet, alioquin non est aequalitas, & est nimia seueritas, praefertim post tam longam experientiam. Tandem si talis probatio adhibetur, concedatur saltem professio proximè post illam: nam qui sentit onus probationis, debet etiam sentire commodum approbationis, si in probatione recte se gessit: at hoc non fit in Societate, sed dicta probatio iuxta constitutiones statim post studia fit, professio vero postea per plures annos differtur: ergo superflua est talis probatio: aut alia profectò adhibenda esset, quae proximè professionem antecederet: nam tunc debet vltimum iudicium de persona fieri: quod si tunc necessaria non est, profectò neque antea fuerat.

II.
Quid ha-
beat insti-
tutum Socie-
tatis circa
hunc 3. an-
num.

Proponamus in primis, quid circa hoc habeat institutum Societatis, eiusque in hac parte confirmationem: & inde facile constabit vera ratio huius institutionis, & difficultates soluentur. Igitur in examine cap. 1. §. 12. solum dicitur, ut admittantur scholastici ad gradum professorum, vel coadiutorum formarum, vnum adhuc annum, post absolutam suam studia experiant. In cap. autem 4. §. 16. declaratur illum annum exigere, ut in variis probationibus ad maiorem Deigloriam exerceantur. In 5. verò part. constitut. cap. 1. vocatur simpliciter hic annus probationis, & postulat ut integer ut adhuc perspectus sit: antequam quam professionem emittat. & in omnibus his locis dicitur, posse hoc tempus prorogari si superiori visum fuerit. De potestate autem coarctandi hoc tempus, vel omittendi hanc tertiam probationem, nihil dicitur, quamuis neque negetur. Atque hanc institutionem specialiter approbauit Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendens Domino*, in qua sic dicitur: *scholares studijs in Societate absoluti, antequam professi vel coadiutores spirituales formati fiant,*

non solum tertium adhuc probationis vltimum annum in deuotionis & humilitatis exercitijs impendant, ut si qua fortasse in re harum vitutum factus, per litterarum occupationem interperit, per earundem virtutum frequentiorum exercitationem, ardentem inquis diuini auxilij vocatorem recalescant, sed etiam, &c. Et postea subiungitur, totius instituti, & specialiter eorum, quae narrata fuerant, confirmatio.

Ex quibus intelligere licet, hunc annum tertium probationis, non postulari tanquam de substantia, vel tanquam omnino necessarium ad valorem professionis: tum quia nec in constitutionibus, nec in praedicta Bulla ponitur aliquid verbum, quod tantam necessitatem indicet: tum etiam, quia cap. praecedent. numer. 12. dictum est, neque integrum biennium esse de substantia professionis, sed solum integrum annum ex vi Concilij Trident. requisitum. Reliqua ergo, quae ex peculiari Instituto Societatis adduntur, ad necessitatem regulae pertinent, & ut res debito modo fiat, non tamen, ut facta teneat. Vnde certum est posse Praepositi Generalem, in hoc anno dispensare, & iustis de causis aliquando id facere, quamuis constitutiones sua taciturnitate circa talem dispensationem satis indicant non debere facile concedi. Vnde etiam intelligi potest, quod licet hic annus in rigore iuris debeat esse continuus, iuxta superius dicta lib. 2. cap. 4. numer. 11. de communi anno nouitatus, & ideo frequenter, ac regulariter ita seruari debeat: nihilominus in hoc facilius possit esse dispensatio, eo quod haec probatio substantialis non est, & utilitas eius potest utroque modo comparari. Denique ex verbis praefertim dictae constitutionis, intelligi potest tertiam hanc probationem praecipue consistere in vacatione ab studiis, & actionibus erga proximos, ut Deo ac propriae perfectioni intentius eo tempore vacetur. Duo enim in praedicta constitutione Gregorij XIII. dicuntur. Vnum est, ut tertium probationis annum in exercitijs deuotionis, & humilitatis consumant, qui ad professionem sunt admittendi. Aliud est, ut in Societatis ministerijs tandiu probentur, quamdiu Praeposito Generali, ad suam & Societatis integram satisfactionem videbitur. Supponitur ergo in tertio probationis anno per se loquendo ab his ministerijs vacandum esse, non propter inutile otium, sed propter otium sanctum, quod diligitur charitas unitatis, & propter propriam mortificationem & sanctificationem.

Hinc verò ratio transigendi dictum annum, in variis instructionibus à Praeposito Generali emanatis, ad illos, *Deo vacandi, & spirituali profectui incutibendi*, fines accuratè descripta est, tam pro iis, qui ob exiguum numerum in domo eadem nouitatu probabuntur, quam pro iis, qui annum peragunt in domo separata, amicorum, & consanguineorum consuetudine semota, siue coram, siue etiam per litteras: In quam certè domum decem, ut minimum, conuenient sub instructore vno, qui & auctoritate per se valeat, & alias etiam gubernarit: is verò illos omnes in spiritu formandos curabit, vniuersamque instituti Societatis rationem explanabit per statos aliquot cuiusque hebdomadae dies, ac modos exponet iuuandi proximos salutariter. Inuicem profectionem conducere iudicabit, atque ad reuerentiam disciplinam spectat, non nisi consulto Reuerentore, aut Ministro Collegij imponet, si forte separata ipsorum habitatio, pars aliqua Collegij fuerit: Quod si eorum quispiam minus in probando satisfecerit, educendus erit atque in tempus aliud differendus. Anno autem peracto, tam instructores, quam

quàm Prouincialis de singulis Generalem, rectè ne an secus illum obierint, planè informabunt. Hæc est summa earum obligationum, quæ pro tertio probationis anno professionem in Societate nuncupaturis iniunguntur; & in vltima instructione data annò 1601. latius habentur. vide etiam ordinationes contractus autoritate 7. congrega. toto cap. 3.

V. Quibus omnibus tam in præcedenti, quàm in 3. numero attentè consideratis, mihi colligo, propriam rationem huius institutionis, non tam consistere in formali ratione (vt sic dicà) probationis, quàm in spirituali exercitatione, & veluti dispositione ad professionem necessariam. Quam rationem & primariam esse existimo, & per se sufficientem, etiam si nulla alia interueniret, quauis altera ratio de experimento, & probatione omittenda non sit. Declaratur hæc ratio. Supponendo quod sæpe diximus, præsertim lib. 1. cap. 6. Societatem esse religionem perfectè mistam, quæ ita intendit actioni circa proximos, vt etiam principaliter vacet contemplationi, quantum necesse est, vt nihil de propria perfectione remittatur, & ministeria erga proximos cum maiori fructu fiant; ob quã rationem: quauis ordinariè hæc vita Societatis mista sit, nihilominus aliqua tempora specialiter deputata sunt ad exercendam puram vitam contemplatiuam: hoc enim conuenientissimum esse in huiusmodi mista religione D. Thom. apertè docuit 2. 2. q. 188. art. 8. cum dixit solitudinem non congruere religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiue, nisi ad tempus, exemplo Christi, qui, vt dicitur Luc. 6. *Exiit in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Inter alia verò, duo præcipue tempora ad hoc genus vitæ exercendum determinata sunt in Societate, vnum est biennium nouitiat⁹, de quo in superioribus lib. 2. cap. 4. diximus. Aliud est hic tertius annus probationis, qui & opportunissimo tempore collocatus est, & nec debuit nec potuit amplius coarctari, vt effectus, qui in illo desideratur, ordinariè possit comparari. Primum enim tempus nouitiat⁹ maius esse oportet, quia in illo spiritus fundamenta iaciuntur, & incipiunt in rebus diuinis se exercere, qui nullum vsum, & ferè nullam illarum notitiam prius comparauerant; postea verò promouentur viri iam instructi, & exercitati in rebus spiritualibus: quarum etiam ampliorem cognitionem & faciliorem vsum per doctrinam, & scientiam scripturarum habere possunt, & ideo vnius anni tempus pro illis sufficiens fuit: illud autem necessarium fuit, quia in nouitiatu, regulariter loquendo, nunquam potest hæc mystica, & spiritualis scientia perfectè addisci, neq; gradus interioris meditationis, orationis, & contemplationis attingi, quantum viris perfectis, vel multum proficientibus necessarium est. Quod autem tunc defuit, raro potest studiorum tempore comparari, imò timendum potius est, ne aliqua ex parte diminuat⁹, quod acquisitum fuerat, vel saltem in tepefcat, vt in prædict. constitutione dicitur, quo etiam sine noxiæ remissioni seu tepiditati obliuiscendi, sexta generalis congregatio canon. 11. parentis Ignatii vestigijs inherens iuniorum fratrum seorsim à reliquis habitandi, & conuersandi morem, iam tunc alicubi introductum, probauit, & in vniuersum deinceps suscipiendum indixit, vt spiritus feruorem in nouitiatu conceptum, sub peculiari spirituali præfecti cura fratres vi conseruarent, atque in dies augerent, atque etiam Generali Præposito instructionem dicto huius conuenientem, vt ederet, commendauit. Itaque opportunissimè cadit hic, de quo loquimur, tertius probationis annus post studia, vt non solum repararetur, si quid fuerat diminutum, sed etiam, vt altiori, & per Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

fectiori modo actus vitæ contemplatiue exerceantur, vt qui antea sapiebat, cogitabat, orabat, & loquebatur vt paruulus, postquam factus est vir suo modo euacuet, quæ erant paruuli, & incipiat nouo modo adherere Deo, mundum despiciere, & seipsum, ac omnia temporalia contemnere. Vnde etiam fiet, vt si scientia prout solet, aliquid elationis, vel ambitionis induxit, altiori cognitione, & consideratione diuinarum rerum expellamus.

Et hæc quidem est talis anni ratio, seu necessitas, comparatione facta ad tempus præteritum; non inuenietur autem minor si oculos ad tempus futuræ vitæ conuertamus. Inquiri enim solet an in hac vita mista, actio debeat præcedere contemplationem, vel contemplatio actionem. Sancti enim Patres interdum docere videntur actionem præmittendam esse. Sic Gregorius 6. Moral. cap. 27. & 28. aliàs 17. & 18. qui contemplationis (ait) arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent; & infra: vt videlicet mens prius desides in opere, & postmo sum reficiat. b. at per contemplationem. Et ad hoc accommodat figuram Rachel, & Lia quarum prior, vitam contemplatiuam, posterior actiuam, figurauit: Et ideo Lia prius nupta est, sicut prius etiam nata fuerat: & sic mysticè interpretatur verba illa Genes. 29. *Non est consuetudinis in terra nostra, vt minor prius ad nuptias tradamus, quàm maioris.* Eandem doctrinam habet D. August. 22. contra Faustum, cap. 52. & sequentibus: sed oportet aduertere, ex superius tractatis lib. 1. cap. 6. de hac duplici vita, interdum Patres sub actione comprehendere omnem exteriorem operationem, siue ordinetur ad propriorum affectuum mortificationem, siue ad proximorum beneficentiam corporalem aut spiritalem: aliquando verò vitam actiuam in maiori proprietate sumptam, significare institutum vitæ ad actiones erga proximum ordinatum. Et simili modo contemplatio interdum sumitur latè pro quocunque interno exercitio, orationis, meditationis, aut cuiuscunque veritatis diuinæ considerationis: Interdum verò magis propriè pro perfectâ eleuatione mentis in Deum, per vniõem charitatis, & sapientiæ, & internam quandam quietem in Deo.

Si ergo tam actio, quàm contemplatio in latiori significatione sumantur, vix possumus inter illas ordinem assignare, sed requirunt inter se induiduam societatem, & vicissitudinem, vt ab actione ad contemplationem, & e conuerso, frequens transitus fiat; quia neque in hac vita mortali possumus semper Deo, & contemplationi eius iugiter inhærere: neque sine propria mortificatione poterit esse mens disposita, vt eleuetur in Deum, sicut egregiè tractat Moyses Abbas apud Calsianum Collat. 1. à cap. 8. vsque ad 13. statim ergo à principio necesse est vtriusque vitæ iacere fundamenta. Quod si velimus vsque ad prima initia descendere, planè videntur sumenda à vita contemplatiua: quia omnis sancta cogitatio ad illam spectat: totius autem salutis initium à sancta cogitatione sumitur, vt est communis Augustini doctrina lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 8. & de Bono perseuerantiæ cap. 8. de Gratia & libero arbit. cap. 7. lib. 2. de Peccat. merit. & remission. cap. 17. & nos latè discussimus lib. 1. de gratia, per varia capita. Sic ergo initium, vel fundamentum cuiuscunque honestæ vitæ, vel reformationis ei⁹ ab interna cogitatione, & consideratione sumenda est. Hac ergo ratione dicimus, vitam etiam hanc mistam per actus vitæ contemplatiue esse inchoandam, ita tamen vt illis statim adiungantur actiones illæ præcipuæ, quæ ad affectuum moderationem, & purgationem cordis ordinantur, per quas homo redditur habilior ad actus perfectionis contemplatiue vitæ: per quos rursus vires assumit ad actiones virtutū perfectius exerce-

VI.

Deinde res
soluta tam
poris futuræ
ad hunc an
contemplatio
prior in vita
mista

VII.

Eius decisio
h. membris
sumpta
actio &
contempla-
tione latè

exercendas, & ita paulatim proficit in vtroque genere vitæ. In hoc autem progressu indifferenter admiscetur actiones erga proximum, præsertim illæ, quæ propriam mortificationem & humilitatem habent adiunctam, & magnam perfectionem contemplationis non requirunt.

VIII.

*Altera de-
eius etiam
bimembri
sumpta con-
templatione
perfecta.*

At verò si loquamur de cōtemplatione perfectâ, & illam comparemus ad actionem, quæ ad moderationem propriorum affectuum ordinatur, sic debet actio sine dubio præcedere cōtemplationem: quia comparantur, sicut motus, & terminus, seu Quies, vel tanquam dispositio, & forma. Nam in hac etiam vita vera est illa Christi sententia, *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt*; vtiq; per contemplationem, quam mihi cor mundum obtinere non potest; vt Augustinus exposuit. Ergo actio necessaria, ad mundandum cor omnino antecedere debet; & hoc sensu locuti sunt Augustinus, & Gregorius locis citatis, quauis Augustinus aliquod amplius addat, vt statim dicam. Si verò comparemus hanc eandem perfectam contemplationem, ad perfectam actionem, ad illam scilicet, quæ spiritalis est, & circa illuminationem, & sanctificationem animarum versatur; sic profecto contemplatio huius vitæ antecedere debet actionem. Quod planè sentit D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 6. cū de hoc genere actiue vitæ dicit, *vnusquis vitæ actiue est, quod ex plenitudine contemplationis derivatur*, sicut doctrina, & prædicatio. Vnde & Gregorius dicit in 5. homil. super Eze. h. quod de profectu viri post contemplationem suam: *edumtibus, dicitur Psalm. 144. Memoriam suauitatis tue eructabunt*. Et in hoc ponit D. Thom. perfectionem talis actionis, quia per eam contemplatio alijs traditur. Et fortasse in hoc sensu dixit Augustinus supra, cū ad hunc statum peruentum est, non solum habere in hoc sæculo speciosam intelligentiā, sed etiam laboriosa iustitiam. Quam laboriosam iustitiam inferius explicat, dicens, *labor enim iustorum maximum fructum habet in eis, quos regno Dei generat, inter multas tentationes, & tribulationes, prædicando Euangelium*; &c. Atque hunc ordinem exemplo vitæ suæ nos docuit Christus, non solum quia ab initio suæ conceptionis summam contemplationem per vnionem Dei habuit: sed etiam quia ante predicationem suam, per quadraginta dies in desertum secessit, vt soli Deo vacaret. Et eundem ordinem voluit ab Apostolis seruari, non solum quia priusquam eos ad prædicandum viuens mitteret, orare docuit, & cum eis sæpius ad orandum recessit, vt ex Matth. 5. & 6. & ex alijs Euangeliorum locis colligere licet; sed etiam, quia discessurus ex hac vita iussit eos sedere in ciuitate, quoad vsque induerentur virtute ex alto, Lucæ 24. Quod ipsi ita intellexerunt, vt ingressi in cenaculum essent perseverantes vnanimiter in oratione Actor. 1. Nec breuitas temporis spectanda est, sed exemplum: Ioannes enim Baptista triginta annis prius in contemplatione se exercuit, & postea ad prædicandum exiuit, sunt enim varia Spiritus Sancti dona, quæ singulis distribuit pro vt vult.

IX.

Ratio etiam hoc conuincit, tum quia necesse est, vt prius aliquis in se ardeat, quàm alijs luceat; vt aliàs in Baptista ponderauit Bernardus in sermone festiuitatis eius; quia de illo dixit Christus, *erat lucerna ardens, & lucens*: ardet autem quis per contemplationem, lucet autem per doctrinam; tum etiam, quia valde inordinatum est, vt aliquis doceat, prius quàm discat, vt sæpe iura canonica loquuntur: quæ præcedente cap. retuli. Et egregiè ac modellissimè Nazianzen. orat. 1. Hæc (inquit) cū nobiscum ipsi non possint, fuit se consiliarius, beneuolus quidem certe, collocutus, præstabilis esse diximus, cū quæ dicenda & facienda essent nesciremus,

ea addiscere, quàm nescientes docere. Præclarè enim cum eo agitur: cui vel in profundam sententiā canis sensus veniat, namque vni b. bens, vt viciat. huius in pietate est: ma aduincit esse possit. Nā certe alios docere, agredi, præquam ipsi edocisimus, valde stultorum, ac temerario aut hominum esse videtur. Vnde inferius concludit, *quæ cū Domini voluptatem nondum, vt videtur dignum est, viderit, &c.* Equus cū nondum & opore, & contemplatione, per omnes Christi appellati. n. i. & virtutis peruenit; &c. Equus cū nondum v. a. auerit ad Dis- pientiam in monasterio abscondit, nec loqui dicitur, sed paruulum sit, & adhuc lacte alatur, adhuc ex i. i. qui inter Israelitas non numerantur, nec in Dei castro. e. senit, nondum deniq; e tanquam vir Christi erui. i. ferat quæ, lato tamen alacritate animo se Christiano certica- pus constitutus parietur? Quauis enim Nazianzenus hæc de munere Episcopali scripserit; tamen per proportionem rectè accommodatur muneri, & actioni professorum Societatis, quatenus quadam participatio illius est, & in illuminando, & docendo alios consistit, & ideo ad illum assumi non debet, nisi qui didicerit per contemplationem, quæ postea docet per actionem. Denique si contemplatio non antecedit, vix aut nullo modo poterit postea tempore ipsius actionis comparari: & ita multo minus poterit ipsam comitari, ac perpetua vicissitudine cum ea misceri; sed relinquet solam Martham ministrare: quod sine magno illius incommodo non erit, quia subtrahetur ei licuitas, & opprimeret eam actionis necessitas, vt alius Augustinus dixit sermone 26. de verbis Dom.

Ex hoc ergo discursu concluditur ratio, & ostenditur mirabilis S. Ignatii sapientia in institutis, & instruendis alumnis suis. Prius enim voluit vtriusque vitæ actibus in primo nouitatu sufficienter exerceri tali ordine, vt à fundamentis vitæ contemplatiue per exercitia spiritualia initium funderent, & ex vitæ actiue, illam partem tunc maxime exercerent, quæ ad propriam mortificationem, & virtutum acquisitionem confert: & ideo diximus in superioribus numer. 5. tempus illud, vel omnino, vel ferè tantum esse vitæ contemplatiue: Quod genus vitæ per totum tempus studiorum perseuerat; nam (vt etiam declarauimus) totum negotium disciplinæ, & doctrinæ acquirendæ, ad ortum contemplationis magis spectat. Quia verò ille contemplationis modus, non spectat ad perfectum, & summum gradum eius, quauis ad illum possit disponere, ideo constituit, vt prius quàm huiusmodi scholares ad operandum in vinca domini exirent, ad scholam vitæ contemplatiue redirent, vt in ea & consequenter in virtutibus sine quibus illa esse non potest, quoad feri posset, perficerentur. Ad hunc ergo finem tertii probationis annu designauit, quilibet pro tanti operis dignitate breuissimum tempus videatur; pro fragilitate tamen hominum, & breuitate vitæ iudicandum esse sufficiens. Non enim hoc tempus eo fine designatur, vt in eo tota huius exercitii perfectio comparanda sit, sed vt maiora quædā, & sufficientia fundamenta iaciantur, & vt in amorem, & studium eius animus incalasciat, vt dixit Gregorius XIII. hæc enim definitio, & hęc intentio maxime necessaria est perfectioni huius vitæ. Deniq; vt si quæ sunt orta impedimenta, quæ ab hoc studio animum auerere possint, eo tempore tollantur. Hæc ergo videtur esse propria ratio & finis per se, ac primariò intentus in designando hoc tertio probationis anno.

Hinc verò consequenter fit (quæ est altera principalis ratio huius institutionis) vt hic annus multum deferuiat, & moraliter sit necessarius ad perfectam probationem, & experimentum eorum quibus professorum munus, quali ex officio, & speciali obligatione, in Societate committendū est. Ad hunc enim

enim finem ordinatur, vt cap. præcedent. diximus) totum illud tempus in quo differtur professio: ergo etiam hic tertius probationis annus ad eundem finem ordinatur, & specialiori quadam ratione, tum propter nonnullam maiorem difficultatem; tum etiam propter maiorem virtutis ostensionem, quæ illo tempore desideratur, præsertim humilitatis, ac deuotionis, vt in dicta constitutione Gregorij XIII. dicitur.

XII. Neque contra hoc obstat ratio dubitandi in principio posita. Respondetur enim approbatum ad vnum munus, seu rem vnius ordinis, probari iterum posse ad negotium, vel munus altioris ordinis; quia non sufficiunt, vel requiruntur ad omnia munera, eadem qualitates, vt notauit Panormit. in cap. *Accepimus*, de ætat. & qualitat. num. 6. Quamuis ergo nouitius, dum admittitur ad priora vota, approbatur in scholarem, probari iterum, atque iterum potest in ordine ad statum, & munus professorum, quod longè grauius est. Deinde etiam in ordine ad eundem terminum potest quis iterum examinari, & probari, quando multum temporis intercessit; & præsertim, si occasio aliqua notabilis mutationis, ac diminutionis timere probabiliter possit, & de re agitur, in qua nondum est ius acquiritum, vt sentit Panormitanus suprà: quæ omnia in præsentem concurrunt. Nam præterquam, quod per priora vota scholarium non approbatur quis simpliciter ad professionem, postea intercedit multum temporis, in quo potest timeri feruoris, & deuotionis diminutio, & ideo sic superest ratio sufficiens nouæ probationis in ordine ad professionem, cum in illam, vel ad illam nunquam sit proprium ius acquiritum, nisi ad summum sub tali conditione in constitutionibus expressa.

XIII. Ad replicam autem quod in toto tempore studiorum fit hæc probatio. Respondetur verum quidem id esse, non tamen sufficere tempus illud; tum quia duplex studium ad professionem Societatis supponi debet, literarum scilicet, & spiritus. Hoc autem secundum, nec tempore nouitatus potuit esse perfectum, nec inter studendum literis potuit consummari; & ideo necessarium fuit proprium adiungere tempus, in quo consummaretur. Tum etiam, quia ipsum studiorum tempus, vel occasione præbet nouæ reformationis; propter distractionem, & remissionem animi, circa spiritualia exercitia, quam nimia sollicitudo literarum afferre solet, præsertim incipientium, vel occasionem præbeat nouæ probationis, qui per discursum illius temporis solet magis vniuersaliusque natura, & capacitas, vel in ordinata aliqua inclinatione cognoscit, quam magis probare, vel moderari necesse est.

XIV. Ad alteram verò replicam, quæ postulat quæ ex parte fiat hæc probatio: Respondetur concedendo eo tempore, si propriè loquamur, probari religiosum à religione, non religionem à religio, vt ratio ibi facta ostendit, quæ non solum de hoc tertio anno probationis, sed etiam de toto tempore studiorum verum habet. Ad obiectionem autem de inæqualitate, seu iniustitia, responsum in superioribus est lib. 3. c. 2. à num. 3. ubi ostendimus, non esse iniustum contractum, in quo scholaris approbatus obligatur absolute, & ex parte sua perpetuò Societati, & Societas non ita se illi obligat: nam in hoc ipso contractu intrinsecè includitur, vt Societas possit amplius probare religiosum, etiam ad dimittendum illum, si sibi non satisfecerit, quia nondum illum simpliciter, & ad omnia approbavit, & è contrario ibi etiam continetur, vt religiosus iam non possit amplius religionem probare, qui quando priora vota emisit, illam simpliciter approbavit, vt vitam in ea perpetuò degeret, & ideo scholaris, Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

qui hac mente in Societate viueret, vel tertium annum probationis ageret, vt religionem amplius experiretur, & si diuiniorem inueniret, relinqueret, non esse tuta conscientia, quia iam non habet ius probandi, sed obligationem obediendi, & se disponendi, vt quantum in ipso est, in Societate retineatur, vel etiam intimius admittatur.

Denique ad vltimam tacite respondetur in dict. constit. Gregorij XIII. dum dicitur scholares finitis studiis in Societate, non solum in tertio probationis anno, sed etiam in verbi Des. sacrasum & scholasticarum lectionum, penitentiarum & Eucharistie Sacramentorum ministerium Societati tandem probantur. quando Preposito Generali videtur. Itaque finis studiis non præscribitur tertius annus probationis, eo quod ille sufficiens reputandus sit, ex vi regulæ, vt statim illo finito, professio concedatur. Nam qua ratione cap. præced. ostensum est, non esse tempus definitum ad professionem faciendam, eadè non est in hoc sensu ille annus præscriptus, sed vel positus est tantum pro termino paruitatis, ita vt ad minimū hic annus requiratur, quia per se ac moraliter necessarius, non tantum ad experimentum personæ, sed magis ad præparationem, seu dispositionem conuenientem tali statui, vel certè per determinationem huius anni indicatum est, ex toto illo tempore, quod inter finem studiorum & professionem intercedere potest, vnum saltem annum concedendum esse, vt in eo propriæ perfectioni, & vitæ (vt dicebam) ferè omnino contemplatiuæ vacetur sub speciali cura, & spirituali disciplina religionis, vt num. 4. retulimus, & hic vocatur quasi per antonomasiam tertius annus probationis, quamuis suo modo, totum reliquum tempus vsque ad professionem probationis etiam sit.

XV.

Ad 3. repli-
cam ibidem.

CAPVT III.

Virum specialis forma profitendi in Societate specialem obligationem inducat circa eruditionem puerorum.

SEquitur agendum de secunda parte huius libri, quam ipsius initio proposuimus. Ac pro hoc capite suppono imprimis fieri in Societate veram professionem per vota solennia, quod ex constitutionibus, & Bullis Pontificijs, & ex vsu manifestum est; & ex dicendis constabit. Nec defunt, qui existiment fuisse hoc simpliciter necessarium, vt tota hæc congregatio sit absolute, & simpliciter vera religio, vt etiam refert Henriquez lib. 12. cap. 5. num. 4. lit. T. in commento. Sed hoc in rigore non est verum, vt iam lib. 3. cap. 3. à numero 6. vidimus; tum quia, sicut potest esse verus, & proprius religiosus simpliciter sine votis solennibus, ita potest esse corpus mysticum veræ religionis constans ex solis huiusmodi personis religiosis. Quia religio, vt dicitur, de toto corpore, solum significat corpus constans ex personis verè religiosis vt sic; tum quia satis probabile est, antiquiores fuisse veras religiones, quam vota solennia, vt tomo præced. ostensum est; fuit ergo hoc conuenientissimum, secundum præsentem Ecclesiæ institutionem ad maiorem perfectionem, decorem, & dignitatem huius corporis.

Secundò suppono hanc professionem Societatis includere omnia, quæ sunt de substantia professionis religiosæ in communi, & regulariter addere secundum, aliquid, includit enim traditionem religiosam, quam significant in forma profitenti præscripta 5. p. constit. cap. 3. verb. illa, Ego N. professionem facio. & tria substantialia vota paupertatis, castitatis, & obediencie, quæ in eadè forma statim expresse promittuntur. Addit vero duo. Primū est specialis que-

I.

Suppositio
proposita
huius
capituli.

II.

Suppositio
secunda.